

ceritate formosum, robore validum. Idem, qui Gal-
lis, color; tametsi corrumpunt illum unguine, & oleo
putri, quo se perungunt; necnon pigmentis variis,
quibus sibi pulcri, nobis ridiculi, videntur. Alios
cernas naso cæruleo, genis vero & superciliis atratis:
alii frontem, nasum, & genas, lineis versicoloribus
discriminant: totidem larvas intueri te putes. Ejus-
modi coloribus credunt se hostibus esse terribiles;
suum pariter in acie metum, quasi velo, tegi: demum
pellem ipsam corporis indurari, ad vim hiberni frigo-
ris facilius tolerandam. Præter istos colores induci
pro cujusque libidine ac deleri solitos, non pauci sta-
biles ac perpetuas avium aut animalium, putà serpen-
tis, aquilæ, bufonis, imagines imprimunt cuti, hunc
in modum. Subulis, cupidibus, aut spinis collum,
pectus, genasve ita pungunt, ut rudia rerum istarum
lineamenta effingant: mox in punctam & cruentam
cutem immittunt atrum è carbone comminuto pulve-
rem, qui cum sanguine concretus impressas effigies ita
inurit vivæ carni, ut eas nulla temporis diuturnitas
expungat. Totæ quædam nationes, ea præfertim
quæ a Tabaco nomen habet, itemque alia quæ Neutra
dicitur, id constanti more ac lege usurpat, nec sine
periculo interdum; maxime si est tempestatas frigidior,
aut debilior [347] corporis constitutio. Tunc enim
dolore victi, licet eum ne gemitu quidem significant,
linquuntur animo, & exanimis aliquando concidunt.
Laudant oculos exiles, labra repanda & prominen-